

ticum, Quæ eidem æqualia, & quid mirum modo sit, si euclidea circa stereometriam mundanarum figurarum acumina, & quidem acuminibus Euclidi improbatiss superare voluerit? Nihil in antiqua geometria speciosius visum est quinque corporibus ordinatis, eorumque gratia geometriam ut ex Proclo initio dictum est, inventam esse veteres illi crediderunt. Itaque ut quisque magnificentissime de se sensit, ita sibi maxime statuit circa hoc problema aliquid elaborandum & exornandum. Archimedes tredecim corporibus, de quibus initio dictum est, Euclidis corpora veluti æmulatus est: Apollonius, Aristæus, Isidorus, ac plerique alii eandem gloriam æmulati sunt: At in totis elementis nihil est istis argutiis ineptius & inutilius. Id igitur breviter agatur, & consideretur per quam Apollonii logicam materia propositionum undecim pro quatuor numeretur, & quæ stereometriæ utilitas ex omnibus omnino percipi possit. Hic enim stereometria nulla prorsus erit. Geometrica erunt quædam in prima propositione in lemmatis, in consecutariis.

1 p 14 Litera alia videtur in Hypsicle esse, nempe pro $\delta\kappa \tau\acute{\omega} \kappa\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon\varsigma$, quod est in litera propositionis. Hypsiclis demonstratio proponit, & concludit $\tau\acute{\omega} \iota\zeta\alpha\gamma\omega\upsilon\varsigma$, quod tamen si re idem est, attamen non perinde verbis res proponitur. $\iota\zeta\alpha\gamma\omega\upsilon\varsigma$ circulo inscribi proprie dicitur, non autem radius. Et hæc propositio geometrica est, stereometriæ proprium nihil habet: antecedere itaque debuit in geometria planorum, si quid tamen utilitatis adferret. Hic enim Euclidis iudicium sequor, non quælibet inventa in elementis habeo, nec logicas leges oblitus sum. finem bene metiendi specto, indeque homogenea metior.

2 p 14 Duo geometrica lemmata demonstrat ad propositionis demonstrationem necessaria, quæ propositionum locum & numerum non minus merebantur quam subjecta propositio, cui adjunguntur. Primum est.

Si recta continuetur è latere quinquanguli & subtendente angulum, poterit quintuplum radii. Secundum est.

Si latus sexanguli secetur proportionaliter, majus segmentum erit latus decanguli. Hæc (inquam) duo lemmata hic permiscetur, quæ si proponenda tamen essent, separatim propositiones in geometria habere debuerant. secundum à nobis retinetur propter usum adscribendi decanguli. Sed tamen utrumque logicam Apollonii demonstrat, materias propositionum ita permiscens & confundens, multoque major ingenii hujus insolentia nescio quæ est, id enim sophisma Theoni vel Euclidi est inusitatum: utitur Apollonius in demonstratione propositionis hujus argumento tanquam principio, unde postea fiet in hoc libro demonstrabilis propositio decima (ut duarum rectarum proportionaliter sectarum prima est ad suum majus segmentum, sic secunda est ad suum:) Hunc elenchum Campanus evitavit: propositionemque istam secundam hoc in libro fecit. Pappi tamen est prorsus eadem lib. 5. th. 51.

3 p 14 Demonstratio 41 p 1 tantum utitur & numeris, ejusque corollarium præcipuum & fundamentum sequentis. Tum verò propositionis hujus materia etiam geometrica est triangulis oblonga comparantis, stereometricum hic nihil est. Ad datur hic corollarium, ut superficies ad superficiem, sic oblongum ad oblongum.

4 p 14